

necesse est, ac proinde ad alia entia ex nihilo producenda tantisque perfectionibus instruenda incapax.

§. 4. Veræ de Deo doctrinæ repugnat *atheismus & superstitio*. Hæ duæ extremæ opiniones, etiamsi e diametro altera alteri opposita videatur, in multis tamen rebus quam arctissime conveniunt. Nam ut præteream *unanimem ipsarum conspirationem contra veram Dei notitiam ac religionem*, se invicem *mutuo per vices* producunt. Sc. *atheus* dum acumen rationemque naturalem tantopere crepat, facit omnino, ut *superstitiosus* sibi persuadeat, rationem haut idoneum esse ducem ad Deum. Et *superstitiosus* vicissim, dum vaga tumultuariæ suæ imaginationis deliria pro indubitatis divinæ sapientiæ principiis venditat, efficit, ut *atheus* totam rem religionis notionisque Dei nil aliud esse quam molestum nimis sollicitæ melancholiæ paroxysmum credat. Quoniam itaque plerique homines vel præsumptæ rationis, vel confusæ imaginationis ductum sequuntur, accidit, ut quam plurimi mortalium vel in *atheismum ac rationalismum*, vel e contrario in *superstitionem ac enthusiasmum* pronopede ruant.

CAP. III.

DE ATHEISMO.

§. I.

Atheismus est pessimus ille error, quo *substantiis finitis vis a se existendi* tribuitur, atque ita *Dei existentia* impie negatur. Hinc *Atheismi fundamentum*

men-